



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XL. Dom. XV. post Pent. Spirans cadaver.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XL.  
DOMINICA XV. POST  
PENTEC.

Ecce defunctus. Luc. 7.

Spirans cadaver.

**J**ure optimo diabolus vulgi ex sententia *pauper diabolus* nuncupatur Opr. AA. Est hæc sententia ita trivialis, ut pænè locum fecerit communi proverbio. Crepat quidem grandes divitias, auri argentique talenta *pauper diabolus*; interim dantur quamplurimi, quibus arrham largiter adpromissam necdum hodie persolvit. Ah! quot magi & sagæ lapsis annis hic locorum Salisburgi ad rogam educti sunt me præsentem, quibus suam adhuc arrham debebat *pauper diabolus*! & quantò pretiò stabat hæc arrha? triginta, quadraginta quinque crucigeris, florenò, & ad plurimum philippeo. Ut quid ergò tantos jactat thesauros mendax dæmon, qui tantillum suis orci mancipiis nesciat expedire? prò cæcas mortalium mentes! quis tam pauperi, tam mendaci, tam versuto & fallaci diabolo sua obsequia pro nihilo mancipet! det etiam suis subinde majoribus in monetis largiores pecunias, ut plurimum tamen erunt umbratiles & fictitiæ, fuci, fungi, siquidem rite inspiciantur, ad ridendos ac decipiendos homunciones proximo ab equili recenter educti, & auricalcò pigmentati, ut rudiores oculos supplantet, prout horum exempla magnò numero recitat Delrio in Disquisitionibus suis. Sicut quoad opes & pecunias pauper est diabolus, ita pariter pauperimus est quoad vires suas & potentiam undique mancam, debilem, infirmam, quâ tamen thraſonicè gloriatur, & infrunita ex superbia se ipsi etiam Deo assimilât. Suscitât Deus mortuos, ut in Naim factum vidimus, & alibi passim. Parem virtutem sibi mendax dæmon adscribit, eamque magnificè

Ccc

sagis

A.

Pauper est  
diabolus,  
& quoad  
opes &  
quoad  
vires &  
potentiam.

fagis & magis suis deprædicat, ut his fucis, his mendaciis  
 lactatos, suis in obsequiis ad ultimum usque spiritum  
 fatalem ictum detineat, pessimè persuasos, se vel nullam  
 tormentorum pœnam sensuros, vel etiam neci datos, mit-  
 iterum ad vitam hâc millies feliciorē ope dæmonis resuscitan-  
 dos. Utrumque falsum esse, experientia docet pœnè quotidia-  
 na; sive enim hoc hominum genus equuleo torqueas, seu  
 facibus amburas, seu aciculis configas, diris ululatibus curiam  
 opplent, & scelerum omnium species ac numeros vi tormenta-  
 rum adacti enucleatè propalant, eum maximè in finem, ut  
 porrò tam enormi lanienæ corpus subtrahant. Secti, con-  
 cremati utique ad vitam remeant, sed horridam, acheronticam  
 omnium pœnarum & excogitabilium tormentorū denso agmine  
 æternum obsessam. Centies in vota diabolus à quocunque  
 hominum genere evocetur, ut maceratum canem in pedes  
 erigat, ut animam bovinam in occisi bovis corpus reducat,  
 nec canem enectum pristino vigori restituere, nec occisum  
 bovem poterit redanimare; quantò minùs homini mortuam  
 vitam & animam inspirabit, quod uni Deo proprium est.  
 Potest quidem dæmon, si Deus permittat, animam cogere  
 damnatam, ut cadaver subeat, illud moveat, & in eo aliqua  
 actiones demonstrat, imò, à potiori ipse dæmon subingre-  
 dit, potest cadaver, & per magos cogi possunt dæmones, ut ca-  
 ver ingressi, illud gestent, moveant, & reliqua faciant re-  
 tempus, ex quibus vivere videantur; sed non durat diu talis  
 impostura, repentè dæmon avolat, & truncum deponit ca-  
 ver, nunquam vitâ instructum, quia nullâ unquam animâ  
 informatum. Accidit aliquid simile archimago Cornelio  
 Agrippæ Lovanii, ut Delrio (1) perhibet. Habuit hic Agrippa  
 memorata in urbe nobilem commensalem, oppidò curiosissimam  
 juvenem. Aliò proficiscendum erat Agrippæ; antequam  
 abiret, musæi sui claves uxori suæ commisit, addita severâ  
 prohibitionē, ne quem ingredi permetteret absente virò. In-  
 inconsultus iste & curiosissimus adolescens non desistit  
 mulierculam deprecari, opportunè importunè, ut sibi ve-  
 modicè ingrediendi copiam faceret. Obtinuit tandem, quod  
 ardentibus votis desideravit. Musæum ingressus, hultro  
 ebria.

B.  
 Potest  
 assistendo  
 cadaver  
 movere  
 ac si vive-  
 ret, sed in-  
 formare  
 non potest  
 dæmon.

(1) Delr.  
 Disq. mag.  
 l. 2. q. 29.

obvia, & casu in patentem libellum incidit incognitis oculis, liceris & figuris oppletum, quò reconditæ latebant orci conjurationes; legit curiosus voces barbaras & hirsutas; nec mora: pulsatur ocus janua; horret nonnihil ad insolitos ictus, sed cum ultra nihil tentaretur, pergit plures lineas hispidis vocibus expressas evolvere, & ecce, iterum janua solito fortius pulsatur, & rudi rerum harum juvene nihil respondente, tæuci, atque horrido vultu teterrimus dæmon ingreditur, quarit impetuose, cui bono vocatus esset ex orco, & quid fieri vellet per vocatum? horridus timor tremulo juveni omnem vocem intercludit, sed unâ fauces etiam dæmon involat, & adolescentem præfocat. Sic miser pœnas dedit nefandæ curiositatis. Redit interim domum ex itinere archimagus: videt eminus supra tectum saltantes & tripudiantes diabolos, lætos hilares, quod juvenem mactassent; videtur è vestigio solitis artibus suis Agrippa; adsunt illic vocati alâstores, totâmq; rei seriem, ut gesta fuit, mago enarrant; mox ergo homicidæ diabolo in mandatis dat, ut cadaver adolescentis per ipsum suffocati quantocius ingrediat, & aliquoties illud per forum publicum, ubi plurimi solent studiosi convenire, circumferat, quasi ipse per orcum interemptus juvenis, vivus vegetus more suo forum obambulet, tandem verò cadaver repentè destituat, ut humi ruat truncus; ita omnes credent apoplexiâ tactum juvenem subitaneò fatò extinctum, tectumque manebit scelus, nec periculum erit ullum, ne magiæ Agrippa herus insimuletur. Fecit imperata orcus, cadaver ingressus aliquoties forum obambulavit, tandem subito totû corpus concidit, eo aufugiente, qui totum illud cadaver dirigebat assistens diabolus, non informans. Ita diu creditum est, subita morte correptum juvenem concidisse; licet suffocationis factæ indicia rem facerent suspectam. Patuit denique diabolica fraus & impostura, cum in Lotharingia captus Agrippa totum scelus præter alia innumera ulterò fateretur. Mera itaque fascinatio est diaboli, cum cadavera movet ad modicum tempus; diu enim stare non potest aut durare hæc fraudulentia, qualis etiam fascinatio est, cum ex aëre formatum corpus etiam suis ritè coloribus

bus ac membris distinctum, Deo permittente, affumit, quod tamen mox iterum ponere compellitur. Ut autem vel ipse dæmon exhaustum cadaver suâ iterum animâ informet, aut à corpore separatam animam iterum in corpus humanum intromittat, id toti orco impossibile est, quia hoc soli Deo proprium est, Superat hæc cadaveris redanimatio, seu animæ immissio totas vires in unum collectas omnium Divorum cœlitum; unde licet sæpius audias: S. Vincent. Ferrer. S. Xaverius &c. tot & tot mortuos ad vitam revocârunt, qui tritissimus hodie loquendi modus est, nunquam tamen id aliter vel sumi debet vel intelligi, quàm Deum tot mortuos suscitâsse, cui uni propria est suscitatio, ad preces & instantiam S. Vincentii, S. Xaverii, non sanctum cœlitum, non Angelum, imò nec Deiparam.

C.  
Dantur  
tamen  
passim  
viva cada-  
vera per  
peccatum.

(2) Apoc. 3.

D.  
Probatur  
ex Script.

Utut hæc vera sint, negari tamèn non potest, dari homines per orbem propè innumeros, qui ex diabolico instinctu umbra instar circumeant. Credunt omnes, eos vitam vivere humanam, & mortui sunt; dæmon illos regit & dirigit; orcos illos ducit & reducit, ut proin sæpius possint digitò signari, *defunctus!* hem *vivum* hæc transit *cadaver!* hic nobis ob oculos versatur *vitale funus*; tale *vivax cadaver* erat Episcopus ille Sardinensis, ad quem criticam & monitoriam epistolam exaravit Joannes, cui hæc (2) erant inserta: *scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Alcazar apud Cornelium hunc sensum dictis vocibus attribuit: scio, quæ opera feceris etiam bona; quæ tamen omnia flocci facio, quia tantum nomine tenus vivis, coram Deo reverà inter umbra collocaris tanquam mortuus & exanimis; hinc etiam opera tua sunt mortua & omni fructu ac præmio destituta. Ex hoc vocum interpretatione, Cornelius sequens format conclusum aitque: *ergò Episcopus iste in statu fuit peccati mortalis.* Hinc ego aliud iterum educo conclusum, dicoque: ergò coram Deo quodvis grave peccatum ex vivo homine facit funus & exanime cadaver. Inde si dæmon homicida tentator & malorum omnium inceptor tot grandia nobis peccata instillet, mortem affert innumeris, & funera funeribus totum per orbem addensat, ut proin totus hic spectabilis mundus jure

valeat grande cœmeterium, ubi tot numerò innumerò mortuas animas vivis corporibus conclusas omni ex parte deprehendas. Hæc ipsa fuit S. P. Isidori (3) sententia, à S. P. Augustino transumpta: *vita corporis anima est, anima vita Deus est; sicut ergò corpus mortuum est sine anima, sic anima mortua est sine Deo*; cum porrò, ut scholæ loquuntur, à potiori fieri debeat denominatio, potior autem hominis pars sit anima, sequitur evidenter, hæc si gravi fuerit peccatò infecta, hoc ipso mortuam esse coram Deo, ergò ut mortua toti homini suam tribuet denominationem, & hominem peccaminosum *spirans cadaver* nuncupavit. Tale cadaver omnis homo est, qui gravi eoque letali peccatò infectus est. Videas adeò stimulis luxuriæ actum lenonem, obscœnum Veneris satellitem, turpem mœchum, generis feminini lascivientem procum, urbis aut oppidi, vici aut pagi procacem taurum, jure optimo exclames, *Ecce defunctus!* oculos irruat irarum percitus cæstrò, hostis implacabilis, pertinax inimicus? jure iterum funus designes dicásque: *ecce defunctus!* eminus prospicias in spem lucri appropierantem auri argentique avidum euclionem, pauperum sanguisugam, pecuniariæ iniquitatis inexplebilem patronum? justò iterum titulò hoc hominum genus configes dicésque: *ecce defunctus!* audias, videas, coràm aditare nominis alieni ac illustri famæ perfidum depeculatore? rectè denudò detractori occines: *ecce defunctus!* plateas oberret Bacchi Thyrsigeri titubans alumnus, furiata mente vacillans heluo, ventricosus gurges, vinò madidus insaturabilis gulo, ebrius lurco? iterum iterumque oculati dicent arbitri, *ecce defunctus!* etsi corpus suum adhuc præfens anima informet, & humi repat irrationatum pecus, Epicuri de grege porcus, animæ tamen ejus orcinus rationis prædo jam ictum letalem infixit; toto ab homine jam Deus migravit & gratia ejus, & casu, quò in tali statu etiam corpus animâ suâ spoliatur, hoc ipso vitâ excideret sempiternâ tanquam spirans cadaver. Quò peccatò gravatus fuerit Episcopus ille, cui paulò antè occinuit Joannes: *ecce defunctus!* nomen habes, quòd vivas & mortuus es! non exprefè in scripturâ signatur. Aliqui dicunt, eum clanculò vitam duxisse obscœnis amoribus contaminatam,

(3) S. Isid.  
l. 1. de Sum.  
Bono.

foris tamen Cyprias faces occultasse. Alii eū grandis avaritiæ simulant, plus lucro pecuniarum quam animarum intentum. Alii credunt, eum in Cura pastorali somnolentum, publica eaque palmaria suorum flagitia conniventibus oculis dissimulasse; quæ de causa Cornelius observat in Apoc. adhuc hodie plurimos animarum Curiones, Concionatores & fori utriusque magistratus æternis ignibus mulctari, prout 2. Dom. Advent. hujus Tubæ fufius diduximus, non quod ipsi luridè viverent, sed quod subditos suos gravius peccantes non seriò castigarent, atque ita connivendo omnium aliorum scelera se participat redderent, juxta illud S. Valerii (4) effatum:

(4) S. Valerius in Concord. Regu. c. 3.

*Ipse jubere nefas, quin ipse jubetur amare,  
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.*

§. 7.

(5) Concil. Pistense. c. 4.

(6) Concil. Melense. c. 8.

(7) Felix Pap. in ep. ad S. Cæsar Arelat.

(8) S. Greg. M. l. 7. epist. 6.

(9) Idem l. 6. Epist. 64.

Obfirmemus paucis Patrum & Concil. Oraculis præsentem effatum: Concilium Pistense de his Pastoribus (5) sic loquitur: *non est liber à consensu, qui, quod emendare potest, emendare negligit.* Concil. Melense hoc in negotio sequentia (6) concludit: *qui aliorum errores participat, cum illis æternam retributionis mercedem sortietur.* Felix IV. Pontif. Rom. hæc epistolæ ad S. Cæsarium datæ (7) interuit: *qui potest venienti malo resistere, & hoc dissimulans fieri permittit, ipse mali operis autor esse approbatur.* Idem tenuit Greg. (8) M. binis in locis. *Qui non corrigi ressecanda committit.* Et (9) alibi: *qui emendare potest negligit, se procul dubio delicti participem reddit.* Urgentibus non tantum profanos magistratus, sed vel maximè sacros animarum Curiones Episcopos & Ecclesiarum Rectores, Parochos & Pastores, si cum lupis ululent, cum lupis ingluviem luctu pari poenâ mulctandi, Talis si fuit Sardensis Episcopus, relictus à Joanne inter mortuos collocatur quam vivos. Interim quæ flagitiò in specie notatus fuerit Episcopus ille, non committitur evidenter. Varii, ut vidimus, varia enuntiant. Fuisse *spirans cadaver* certum est ex oraculo Divino. Sed & illud certum est, homines per nullum scelus tam citò, tam prope in mortem præcipitari & *spirans fieri cadaver*, quam per luxuriam vitium. Hic funus homo redditur etiam per turpem cogitatum animò liberè creptum. Ubi vel unicus talis cogitatus præcor-

præcordia irrepit, jam intonat Ezechiel (10) *anima, qua peccaverit, ipsa morietur*. Alia omnia vitia citius eliminantur; hoc piceam habet indolem, nec tam facile se profligari patitur. Manet altâ mente repôstum, & naturam furcâ expellas, mox iterum redibit, ac *spirans faciet cadaver*. Juxta nonnullos Patres facilius verè ac realiter mortui ad vitam reducuntur, quàm unum hujus generis *spirans cadaver* ritè ad gratiam & gloriam redanimetur. Est ergò quòd sibi probè hoc in lubrico negotio singuli attendant, ne per ipsos funerum numerus augeatur. De hoc *animato funere* plura dixi Tub. Anal. t. 1. & 2. hac ipsa Dom. ubi horum funerum evidentia sigâ descripsi. Nunc in gratiam luxuriantis juventæ hætenus dicta & variis testimoniis firmata, etiam tragicò quodam exemplò suffulciam, ad quod jure omnibus procis, amafis & prostitulis ambæ aures tinniant.

Antonius Ballingham Belga ultra 40. libros in lucem emisit, quos inter facile primas tenet *Triumphus castitatis* binis tomis distinctum opus. Hoc in opere fuisse memorat juvenem (11) ceris quidem prænobilem, at vitâ & moribus ruralem mopsu, (11) Ant. Balingh. in Tri. Cast. E. Exemplò confirmatur. aut rectius sæculentum suum. Alias inter innocentes puellas, quas urbanis iste taurus seduxit (eum aliqui Garziam vocant, alii nec nomine dignantur) etiam fuit Deo sacrata Virgo monialis; hanc plurimis alloquiis eò jam pellexerat, ut certam noctis horam fugæ ac libidini explendæ dereterminaret. Illa disciplina his in seminarum claustris maximè probatur & prædicatur, ubi nulli monialium cum quocunque extero ad clatros loqui vi legum est indultum, nisi loquentibus testis præsens assistat, quæ omnes & singulas voces mutuò collatas auribus suis hauriat. Sic multis & enormibus malis obviatur. Dicunt S. Carolus Borromæum in visitandis hisce cœnobiis ubique hanc legem instaurasse. Vigisset hæc lex in hoc monialium claustrò, juvenis iste animam suam fortè ab interitu servasset. Abiit ad condictam horam nocturnus hic Veneris procus ad monasterium, at ecce præter moram templum reperit apertum. Ductus curiositate subiit templum multis undique facibus coruscum, advertit unâ cantu funebri totam Ecclesiam resonare, & in ipso templi umbilico funus consistere insignibus juveni propriis



propriis exornatum, numerosis funalibus illustre. Sedebant utraque ex chori parte suis in subselliis plures Monachi, productis super faciem cucullis, officium defunctorum terrificum sonò exsolventes. Accessit anxius & sollicitus spectator, & quod jure mireris, ultimum ex ignotis hisce Monachis etiam interpellare ausus exquirat, quid exequiæ tam in tempestivè signarent, & cujus defuncti esset prostantis funus respondit ociosus & nomine suo Garziam compellavit, alter curiosum exploratorem ad tumbam remisit, insignia spectare ex illis ociosus defuncti nomen legendum. Hæc ut Garzia jam ex præmeditato scelere defuncto tristes nenia decantantur, & funeralia solenni forma expediuntur. *Eccedat functus* horribiliter ad iteratum responsum juvenis & ex tertio altera ex parte quærere institit, cujus funeris exequiæ colerentur; sed id quoque tertius respondit: hic ad nomen suum denuò proclamatum, & ad feralem tumbam suis insignibus circumvestitum novis terroribus percussus, statuit ociosus se hinc proripere, & amasiam suam investigare. Sic tremulo pede abiit excedens, at vix pedem templò extulit, in mediam & patentem plateam digressus, duo grandes & nigerrimo carbone notati juvenem procum aggressi sunt, à quibus etiam, monialis ad fugam procincta, & adhuc ex muro prospectante, ubi non possit descensum moliri, in frustra discerptus est Garzia. *Ecce defunctus!* hæc utraque, ut ajunt, manu palpemus, quam vivo ex homine *spirans cadaver* faciat libido! Monachi utroque circumstantes erant orcinii alastores, improbi manes averni, qui hunc juvenem luxuriantibus focis æstantem, tantquam Deo mortuum, sibi que proprium funus orcinii manibus suâ decantabant, ociosus in averno sepeliendum; permisit autem Deus, imò voluit præcepitque, ut qui animam pridem per orcos nos lemures & continuatas libidines suas sibi passus est trucidari, jam etiam per cerbereos canes vitâ corporis exspoliaretur. Rapuit hunc lenonem funestissimo actu è medio vindex Deus, ut pœnas daret protervæ libidinis, & ne plures innocens Virginum animas teterrimæ stygi transmitteret. Sapiuit hinc tristis spectaculo monialis, & residuo vitæ tempore acri poenitentia in tumultum usque continuata multiplex scelus expiavit.

conrendit, tantò utique sanctiore fato post aliquot annos  
sacros intra parietes extincta, quantò tristiori & acerbiori  
fato trementibus oculis coràm vidit turpem amasium per  
stygios canes dilaniari. Ex hoc tragico funere omnes ac singuli  
efficax capiant exemplū, caveantque, ne latrocinans asmodæus  
nostra in præcordia per quinque sensuum nostrorum fenestras  
funestam mortem intrudat. Huc tendit monitum verè pater-  
num à Jeremia profectum, quò omnes visus est hortari, ut fores  
undi que probè oppessulent & arcè constringant, ne quid letale  
per clausuram malè apertam in humanum pectus irreat.

*Ascendit mors per fenestras*, verba sunt (12) citati Prophetæ.  
Curandum proinde, ut sensuum fores semper maneant firmiter  
obstructæ; Irruit autem fatum pestilens in hominem per tria  
maximè ostia, quibus etiam duo residua sociantur. Primò per  
os, seu quod idem per gulam & praviloquium. Secundò per  
aures, improbum & impudentem auditum; quem ut à labe  
integrum servaret Bernardus (13) pridem dixit: *mors intrat  
per fenestras nostras, cum prurientes auribus & oculis letale  
poculum distractionis invicem nobis ministrare contendimus.*  
Tertiò tandem per oculos, quo etiam tactum direxeris &  
olfactum veneris impiæ duplex instrumentum. Hæ fores,  
hæc ostia firmiter oppilentur, & unà morti omnis via obstrue-  
tur, ne ad ima penetret, animam Dei summi splendidissimam  
inaginem perimat & evertat, unde totus homo à Deo æter-  
num rejectus, gratiâ Divinâ in æternum orbatus, cœlò totaliter  
exclusus in barathrum ruat miseriarum, in stygiæ noctis erga-  
stulum, in æternæ caliginis palmares umbras, & omni luce  
carentia regna horrida, squallida, tetrica, crudelia, execranda,  
quæ à nostram singulis ter pientissimum Numes  
averruncet! Amen.

(12) Jer. 9.

(13) S. Berno. Ser. 24. in Cant.



Ddd

Concio